

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

K)



ΕΖΗΤΗΣΙΣ
DICTIEVAN-
GELICI.

Luc. 11. vers. 28.

Μακάριοι, οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν.

Beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum.

QUAM,

Auspicio divini Numinis.


PRÆSIDE

JOHANNES SCHMIDT, S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE, EJUSDEM
Professore Publico, & Ecclesiae ordinario,
in Academia & Ecclesia Argentinenfi,

Publicè & solenniter defendet.

M. ANDREAS Schön Augustanus.


In auditorio novo Idib. Mart. horis à septima matutinis.



ARGENTORATI

Typis Iohannis Reppii, Anno 1626.





VIRIS

Dignitate, Prudentia, Doctrina,
Reverenda, Exquisita, Eximia.

CLARISSIMIS
DOMINIS

M. BERNHARDO ALBERTO. } Senioribus gra-
M. JOAN. CUNRADO GÖBELIO. } viffimis.
M. DAVIDI SCHÖNIO.
M. MATTÆO WAGNERO.
M. GEORGIO ERHARDO.
M. WOLFGANGO JACOBO CHRISTMANNO. }

Ecclesiarum Orthodoxarum, quæ in Imperiali Augustâ col-
liguntur, Pastoribus fidelissimis, dignissimis;

Quos

PATRONOS, FAUTORES, EVERGETAS
MEOS

OPTIMOS, SUMMOS, MAXIMOS!

EX INTIMO AFFECTU

Suspicio, colo, veneror,

M. Andreas Schön Augustanus,

HANC

Dissertationem Theologicam

Merito

Libens

Quia debui

Quia volui

D.

C.

O.



Σὺν Θεῷ.

PIA MEDITATIO VERBORUM CHRISTI.

LUC. II. v. 28.

*Beati, qui audiunt verbum Dei, & custo-
diunt illud.*

T H E S I S I.



Spiritus sanctus, ut ad diligentem & studiosam verbi sui meditationem nos invitaret, variis passim, iisque jucundissimis & pulcherrimis appellationibus ac descriptionibus, ejusdem tum dignitatem, tum efficaciam & fructum exposuit. Quam in re cum primis (ut alia jam mittamus) in V. T. occupatur totus Psal. 119. in quo, Hilarii judicio, *omnia vivendi, credendi, Deoque placendi praecepta continentur*: quem Chrysostomus vocat *ingentem Thesaurum, plenum spiritualium divitiarum*. In eo enim nunc legis, nunc via, nunc iudicii, nunc justitiae, nunc justificationis, nunc aequitatis, nunc sermonis, nunc ordinationis nomine Dei verbum insignitur. Et ut in omnibus ejus versiculis (vix uno atque altero exceptis) expressa verbi divini sit mentio, ita singuli ferè novas ejusdem laudes & praeconia continent.

2. Quae piè secum expendentes BB. Patres & Doctores Ecclesiastici, verbique divini tum majestatem tum utilitatem inter quotidianas meditationes ipso opere deprehendentes, variis quoque; elogiis id ipsum ornârunt. Est verbum Dei Athanasio *τροφή ψυχῆς anima eibus*, Basilio *communis medica animarum officina*, Aliis *anchora & sustentaculum fidei nostrae*, lumen illuminans intellectum, ignis inflammans affectum, malleus concurrens duritiem cordis, gladius praescindens quicquid vitiosum ac nimium est in affectibus, semen ferens fructus vitae aeternae, alimentum alens, oblectans, impinguans & corroborans animam. Hugo de Arca Noë, *Sacra Scriptura*, inquit, *est liber vitae, cujus origo aeterna, cujus incorporalis essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas inscru-*

inscrutabilis, cujus verba innumerabilia, & unum tantum verbum omnia. Idem. In Sacra scriptura quicquid docetur, veritas, quicquid precipitur, bonitas, quicquid promittitur felicitas est. Dionys. Carthus. Divina eloquia & rori, & aqua, & lacti, & melli, & vino assimilantur, propter vim in ipsis generativam & augmentativam sicut in lacte, & revivificativam sicut in vino, & mundificativam simul ac servativam sicut in melle. Confer etiam Lutheri commentar. in Psal. 23. & in exposit. versic. 16. 2. Timoth. 3.

3. Ceterum omnia nomina & descriptiones ἐγκωμιαστικὰς, ac si quæ alia, in laudem verbi divini, quamvis humanæ laudis vim longissimè superantis, dici queunt, Salvator noster uno complexu comprehendere voluisse videtur, quando ejusdem attento auditu, fidelique custodia ipsam beatitudinem obtineri posse docet, Luc. II. v. 28. inquit, *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quia enim beatitudo sempiterna pulcherrimum est, præstantissimumque bonum, aut, ut Gregor. Nyssen. habet, homil. I. de beatitud. *comprehensio quedam omnium earum rerum, quæ nomine boni intelliguntur, à qua nihil abest eorum, quæ pertinent ad bonorum desiderium atque cupiditatem, ineffabile pariter atque inexcogitabile bonum, inenarrabilis inexplicabilisque pulchritudo, fons omnis bonitatis, perpetua exaltatio, sempiterna letitia: de qua si quis dicat omnia quæ possit, nihil dicet eorum, quæ rei dignitas postulat aut requirit: certè ipsius quoque verbi, ad tantum bonum hominem perducentis incomparabilis dignitas sit, summa majestas & admiranda vis atque efficacia necesse est.*

4. Placet insignem hanc Christi Salvatoris de verbo Dei ejusque efficacia & virtute sententiam piæ exercitationis ergò diligentius considerare, eaque occasione nonnulla *de scriptura sacra*, quæ ipsum Dei Verbum est, *authoritate & utilitate piè differere*, ut, quanta religione, veneratione, devotione animi, attentione, desiderio quoque & voluptate, audire, legere, meditari eandem debeamus, omnes intelligamus.

5. Constat autem aurea Christi sententiola, suo tum *subjecto*, tum *prædicato*, de quibus distinctè agendum.

6. Subjectum hisce continetur verbis: *Qui audiunt Verbum Dei; & custodiunt illud.*

7. *Verbum* (Hebr. דבר Chald. מִיָּמֵר Syr. מִלְּחָא Græc. λόγος) in scriptura significationes habere varias, cuius obviū est. In N. T. apud Johannem Evangelistam non semel *ipse Dei filius*, sive secunda SS. Trinitatis Persona vocatur Verbum (ita enim Græcam vocem λόγος commodiùs reddi arbitramur, ob causas alibi commemorandas, quàm per sermonem: quæ Translatio Erasmo, Beza, Marlurato & aliis
pla-

placet) confer. c. 1. 1. & 14. 1. Joh. 1. 1. cap. 5. 7. & Apocal. 19. 13. Quibus quidem locis Hæretici veteres de λόγῳ προφορικῶν agi contenderunt, & teste Hilario libr. de Synod. *Dei filium verbum prolativum, & in substantiatiua vocis incorporalem sonum esse dixerunt*, quibus hodierni Photiniani affines sunt, non θεικῶς sed ἀνθρώπινως, λόγον apud Johannem lococit. accipientes, sed nimis clarae textus & apertae circumstantiae, aliaque rationes, quas hic adducere non est nostri instituti, non ferunt istam *σφραγίδιν* & corruptelam. Rectè Ignat. epist. 3. ad Magnes. *ἡ γὰρ ἐπιλαλιᾶς ἐναρθρῆ φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείης θεικῆς ἑστία γεννητή.* *Non est locutio articulata vocis, sed operatio Deitatis substantia scil. genita.* Et Ambros. l. 1. de fid. c. 5. *Aliud verbum est quod tempora habet, quod syllabis colligitur, literisque componitur: non tale verbum Filius; quia non talis Pater est verbi. Verbum hoc non definit prolatum, sed permanet natum, non transitorium, sed aeternum, non factum à Deo patre, sed genitum, nec solum genitum, sed etiam unigenitum.* Confer Epiphani. hæres. 73. Damasc. lib. 1. de O. F. c. 6. Augustin. de fid. & symb. c. 3. Chrysof. homil. 3. in Johann.

8. Variæ autem & à veteribus & à recentioribus Ecclesiæ Doctoribus adferuntur rationes, ob quas aeternus Dei filius VERBUM vocatur: *sive* 1. quia in V. T. frequens est hujus vocis usurpatio. Confer. Psalm. 83. 6. & 107. 20. *sive* 2. quia Chaldaus interpres passim filium Dei in V. T. כְּבִרְיָהּ hoc est, verbum, appellavit, confer Psal. 110. 1. Es. 45. 17. c. 48. 17. & integrum libellum antehac à D. Nicolao Selneccero p. m. scriptum, continentem *collationem locorum textus biblici, & Chaldaica παραφράσεως, quæ Thargum vocatur: in quibus Chaldaei usurparunt dictionem Verbi intelligentes λόγον Filium Dei, &c.* *sive* 3. quia est interpres & nuncius voluntatis divinæ, ut placet Epiphanio hæres. 73. Nazianz. orat. 5. de Theol. Augustin. de fid. & symb. c. 5. *sive* 4. quia habet similitudinem quandam cum verbo vocali, qua de re videantur Nazianz. orat. 5. de Filio. Basil. tom. 1. p. 450. Fulgenl. lib. 3. ad Monim. Cyrillus lib. 1. dialog & alii. Sunt qui plures appellationis rationes adferunt, quarum tamen nullâ prorsus certâ demonstratione ac sine ulla dubitatione, exclusis aliis, asseri potest, ut hîc quoque mysterium aliquod absconditum latere fatendum sit. confer Flac. part. 1. Clav. p. 1247.

9. Deinde *Verbum* creberrimè in scripturis V. T. notat *factum, causam, negotium, rem, opus* aliquod quod narrari verbis & commemorari solet. Sic Moses Exod. 2. v. 14. *quomodo, inquit, palam factum est verbum istud?* id est heroicum facinus meum heri patratum? (tale enim revera opus scilicet heroicum & divinum fuit occisio Ægyptiaca Exod. 2. v. 12. non verò ut veteres quidam voluerunt simile illicitò & audaci facto Petri Malcho aurem abscidentis Joh. 18. 10. id namque cum eo quod act. 7. 26. conciliari nequit) Simile est, quod Dominus dicit.

1. Par. 9. 11. Ego *verbum facio in Israël*: id est, immittam graves pœnas & calamitates ob populi peccata: confer 2. Samuel. 1. 4. c. 26. c. 11. 27. & loca alia passim occurrentia. Unde libri sacri qui vulgò vocantur paralipomena sive libri Chronicorum, Hebræo nomine appellantur *יְבִרֵיהֶם* *verba dierum*, id est, acta aut gesta Regū Juda vel Israel singulorum temporum. In N. T. quod multis Hebraïsmis plenum est, eandem significationem verbi non semel legimus Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: cap. 2. 15. *Transeamus & videamus verbum, quod factum est, & quod Dominus ostendit nobis.*

10. Interdum etiam *verbum* divinam quandam vim & efficaciam agendi denotat Psal. 107. 20. *Misit verbum suum & sanavit eos* (ubi tamē, si quis per verbum ipsum *ὑποστατικόν* Dei Patris *λόγον* cum nonnullis intelligere velit, non repugnamus) Psalm. 147. 18. *Emittet verbum suum & liquefaciet ea, stabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Hebr. 3. *Filius Dei portat omnia verbo virtutis sue* cap. 11. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* confer. 2. Pet. 3. 5. & 7.

11. Hoc loco *Verbum* significat doctrinam cœlestem legis & Evangelij; quam Deus humano generi per Patriarchas, Prophetas, Evangelistas, & Apostolos in V. & N. T. patefecit, ex qua Dei tum essentiã, tum voluntatem, quantum ad æternæ salutis acquisitionem sufficit, cognoscimus, *quæ etiam significatio vocis hujus in Bibliis præcipua est.*

12. *Dei* vocatur hoc *Verbum* maximè idèd, quod Deum habeat auctorem, qui ex arcana majestatis suæ sede prodiens non solum per opus creationis, sed etiam per expressum verbum primis parentibus antelapsum, & iisdem, uti etiam Patriarchis, Prophetis, aliisque sanctis hominibus post lapsum sese, hoc est, doctrinam de sua, essentia & voluntate revelavit, unde toties repetunt Prophetæ יהוה אמר dixit Dominus: dictum J E H O V A: factum est verbum Domini; os Domini locutum est, audite verbum Dei: Et in N. T. Paulus Gal. 1. 12. *neque enim, inquit, ego ab homine accepi illud (Evangelium) - neque didici, sed per revelationem Iesu Christi,* confer. 1. Cor. 11. 23.

13. Distinctè autem singulis divinitatis personis ista verbi revelatio tribuitur. Patri Heb. 1. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in filio:* ubi simul & temporum & personarum & modorum quibus revelatio divina facta est, diversitas breviter notatur, de qua alibi actum. Filio Johan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Matth. 11. 27. *nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare,* de quo loco Iren. lib. 4. advers. heres. c. 14. *revelaverit, inquit, non solum in futurum dictum est: quasi tunc inciperet verbum manifestare Patrem cum de Maria natum: sed communiter per totum tem-*
pus

pus positum est: ab initio enim assistens suo plasmati Filius revelat omnibus Patrem, quibus vult & quando vult & quemadmodum vult Pater. Spiritui sancto 2. Sam. 23. 2. Spiritus Domini (inquit Psalter Regius) locutus est per me & sermo ejus per linguam meam, act. 28. 25. Bene Spiritus Sanctus locutus est per Esaiam Prophetam & c. 1. Petr. 1. 11. Spiritus Christi in Prophetis prädixit futuras passiones. 2. Petr. 1. 21. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

14. Sed & idem doctrina cœlestis Dei verbum dicitur, quod ejusdem jussu voluntate & mandato literis consignata est. Prophetæ enim, Evangelistæ & Apostoli impulsu & inspiratione divinâ permoti ad descriptionem accesserunt, unde 2. Tim. 3. 16. Apostolus ait; *πᾶσα γραφή* scil. *ἡ ἐκ τοῦ θεοῦ προεβήθη*; agens de libris & V. T. & Novi: nam & hi novi scil. Testamenti libri, plures jam tunc extabant: quod & confirmat vulgatum illud Irenæi lib. 3. ad vers. hæres. c. 3. Apostoli, quod primum præconia-
verunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt. August. lib. 1. de consens. Evangel. cap. ult. *Quicquid ille (Christus) de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum eis (Evangelistis & Apostolis) tanquam suis manibus imperavit.* Johannes aliquoties expressum accepit à Filio Dei mandatum, ut apocalypsin suam scriberet. Apoc. 1. 11. *Quod vides scribe in libro.* v. 19. *scribe quæ vidisti,* cap. 7. 1. Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe: confer eod. cap. vers. 8. 12. 18. cap. 3. 17. 14. cap. 14. 13. cap. 19. 9. cap. 21. 5.

15. Præterea etiam doctrina per Prophetas & Apostolos tradita vocatur *Verbum Dei*, ratione *objecti & materia*, quia de Deo & rebus divinis agit, docēs 1. *quis sit Deus*, nimirum unus essentiâ, tribus personis. 2. *quæ sit Dei voluntas*, quam proponit *partim lex*, quæ est doctrina operum, ad quam pertinent exempla obedientiæ & inobedienciæ, præmiorum & pœnarum, promissiones obedientibus datæ, & comminationes adversus inobedientes directæ: *partim Evangelium*, quæ est doctrina fidei, ad quam pertinent vaticinia V. T. de Messia persona, officiis & beneficiis: item typi sacrificiorum & alii præfigurantes Christum. Historia Evangelistarum de Christi conceptione, nativitate, circumcissione, Baptismo, concionibus, miraculis, passione, morte, resurrectione, ascensione ad cœlos & ad dextram Dei sessione, item promissiones de gratiâ Dei, remissione peccatorum, justitia & vita æterna, credentibus in Christum factæ.

16. Tandem doctrina V. & N. T. vocatur quoque *Verbum Dei* ratione *finis & effectus*, quia ad Deum nos ducit. Post lapsum omnes naturâ sumus *μεινώντες* longe nimirum à Deo Ephes. 2. 13. *hospites & advenæ.* v. 13. *Peccatum enim, in quo concipimur, fovemur & nascimur, inter nos*

| NB. Thez. 17.

nos & Deum dividit Es. 59. 2. Per verbum autem ad spiritualem cum Deo conjunctionem venimus, adeò ut filii Dei, Christique fratres ac sorores efficiamur Luc 8. v. 21. *Sunt verè sacra litera, quæ sacros faciunt & Deificant* inquit Clem. Alex. in parænet. ad gent. p. 29. Quemadmodum olim nubes Israelitis viam per desertum in terram promissam monstrabat; ita verbum semitam nobis, quâ ad Deum itur, ostendit. Placet Deo per Verbum etiam ad nos venire, & mansionem apud nos facere. Joh. 14. 23. 17. Porro hoc Dei verbum audire debent omnes qui fructum ejus percipere & sentire efficacem cupiunt: quod qui negligunt, iis verbum, quamvis magnâ virtute operandi pollens, inefficax atque infructuosum manet. Quemadmodum enim balsamus per se quidem recreandi, corroborandi, sanandique vim possidet, eandem tamen, quamdiu intra capsulas & pyxides pharmacopæi latet absconditus, non exerit: quod ut fiat, homini juxta medicorum consilia applicandus est; ita verbum efficacissimum medium hominum convertendorum, fide donandorum, sanctificandorumque, si non auribus usurpetur, nihil hominibus prodest.

17. Est autem *auditus Verbi duplex: Externus* alius, & alius *Internus*. *Duobus modis*, inquit Hugo in declaratione horum verborum, *auditur verbum Dei scilicet auditu exteriori & auditu interiore*. Ille absolvitur sola externâ verbi prædicati perceptione & ad aures admissione sine aliquo interioris motus atque devotionis sensu, qui auditus impiis pariter atque piis communis est in Ecclesia confer Luc. 8. 12. seqq. Hic complectitur 1. *verum verbi intellectum* 2. *assensum & approbationem* 3. *obtemperandi studium*, & alios pios motus. Est vocis audire eadem in scripturis ratio, quæ & verbi *videre*, quod non tantum significat oculis objecta intueri, sed & revisâ affici ac moveri, eandem expendere & considerare: confer Flac. Clav. part. 2. tract. 4. p. 313. seqq.

18. *Vtrumque auditum* complectitur, & ut exigit hoc loco Christus: quamvis enim *interni* potissima habeatur ratio; iique prædicentur beati, qui verbum externis auribus perceptum intelligunt, expendunt, eidemque assensum præbent, illo delectantur, & in fide confirmantur: accenduntur studio obtemperandi, & quæ verbum postulat, ipso opere explendi: *externus* tamen simul includitur, quippe qui ordinis & plerunque etiam temporis ratione interno prior est: & quem Deus pro sua sapientissima voluntate ordinavit & constituit medium, internum auditum sive assensum & fidem in hominis pectore excitandi.

19. Distinmen diversi hujus auditus maximum est, si vires hominis post lapsum consideremus. Utrumque quidem Christus postulat, sed non uterque in arbitrio nostro est situs. *Prior penes nos est* etiam in statu corruptionis ante regenerationem. Potest enim homo non re-
natus

natus illam pædagogicam disciplinam seu ministerii obedientiam ex-
ternam adhuc servare, id est, accedere concionem verbi, potest verbum
prædicatum non contemnere, id audire, de eodemque aliquo modo
cogitare, id quod passim scriptura sacra tum dictis tum exemplis docet.
Inlignè est, quod describitur Act. 24. 25. Ubi Felix Præses Romanus ho-
mo Ethnicus legitur vocavisse Paulum ad audiendam ab eo fidem: con-
fer Doct. Hunn. de provid. & prædest. p. 237. & seqq. Posterior, nimi-
rum *internus auditus*, qui definitur assensu cordis & obsequio volun-
tatis, quo externè audita spiritualiter dijudicantur, & obsequium præ-
statur divinæ voci, & de quo Christus Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem
meam audiunt, & sequuntur me*, nequaquam in nostra potestate est situs,
sed unius Dei gratuitum & benignum opus.

21. Placet tamen Deo, ordinariè & in adultis hunc internum au-
ditum, id est, assensum & fidem non nisi per exteriorem auditum exci-
tare; ad quem proinde gravissimè passim hortatur. Uti pleraque o-
mnia liberrimè per certa media administrat: ita quoque accendendæ
fidei medium ordinavit externum prædicati Evangelii auditum: quem
qui contemnit, in incredulitate manet. *Quomodo enim credent, de
quo non audi verunt?* Rom. 10. 14. Extant pulcherrima hujus rei exem-
pla præcipuè in Actis Apostolicis, inter quæ eminent id, quod est cap.
16. 14. ubi *Lydia purpuraria* audienti Paulum concionantem divinitus
aperitur cor. Et notatu dignissimum est, quod de sui ipsius conversione
ad fidem scribit Augustinus lib. 5. Confess. c. 13. his verbis: *Veni Me-
diolanum ad Ambrosium Episcopum in optimis, notum orbi terræ, piū cul-
torem tuum (Deus) cujus tunc eloquia strenuè ministrabant ad ipem fru-
menti tui & letitiam olei et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum au-
tem ducebar abs te, nesciens quod per eum ad te sciens ducerer. Eum ama-
re cœpi primò quidem nõ tanquã Doctorem veri, quod in Ecclesia tua pror-
sus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me. Et studiosè au-
diebam disputantem in populo, non intentione qua debui; sed quasi explo-
rans ejus facundiam, utrum conveniret fama suæ, an major minorve pro-
flueret, quàm prædicabatur: & verbis ejus suspendebam intentus, rerum au-
tem incuriosus & contemptor astabam, & delectabar suavitate sermonis,
quanquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis quam
Fausti erat. Et mox cap. 14. Cum non satagerem discere, quæ dicebat
(Ambrosius) sed tantum, quemadmodum dicebat ea audire, veniebant
in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam, quas negli-
gebam: neque enim ea dirimere poteram: & dum cor aperirem ad exci-
piendum, quàm disertè diceret, pariter intrabat, & quàm verè diceret,
gradatim quidem. Nam primò etiam ipsa defendi posse mihi jam cœpe-
rant videri, & fidem catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppu-*
gnan-

gnantes Manichæos, putaveram, jam non impudenter asseri existimabam, nec tamen jam ideo mihi catholicam viam tenendam esse sentiebam, quia & ipsa poterat habere doctos assertores suos, qui copiose & non absurde objecta refellerent, nec ideo jam damnandum illud, quod tenebam, quia defensionis partes æquabantur. Tunc verò fortiter intendi animum &c. Videantur, ibi sequentia ut & lib. 6. cap. 1.

22. Cæterum dum auditum verbi externum excitandæ fidei ordinarium medium, & hinc summè necessarium dicimus, simul comprehendimus sub eo privatam Bibliorum sacrorum lectionem & meditationem, quam non immeritò *quandam auditus verbi speciem* vocare possumus. Quemadmodum enim cum ad DEUM preces nostras humiliter fundimus, in colloquium cum eo dulcissimum admittimur. *Est oratio colloquium cum Deo*, inquit Cyr. lib. 2. epist. 2. *Sermocinatio conversatioque cum Deo, eorumque, quæ concupiscuntur, certa fides.* Gregor. Nyss. de Orat. p. 7. *Quando oras, loqueris cum Deo.* August. in Ps. 85. *Ita cum scripturam sacram legimus, Deus nobiscum loquitur.* August. cit. loc. quando eandem ruminamus, meditamus, expendimus, Deum audimus in nobis loquentem: quo studio veluti pabulo quodam fides nostra augetur & nutritur. Commendantur hoc nomine Berroenses, Act. 17. 11. quod & verbum prædicatum ab Apostolo Paulo *cum omni aviditate* susceperint, & privatim etiam scrutati fuerint, an conciones Pauli verbo divino responderent, unde etiam multi ex iis credentes facti sunt. v. 17.

23. Sed non sufficit, verbum, vel externis auribus percepisse, vel corde eidem semel præbuisse assensum, requiritur insuper etiam fidelis *custodia* ejusdem, quam hic Salvator noster auditui adjungit. *Hugo tribus modis verbum Dei ait custodiri, In corde per jugem meditationem: in ore per utilem expositionem: in manu per operis executionem.* Sicut non sufficit ad vitæ naturalis sustentationem, cibum & potum ore sumsisse & commisisse ventriculo, sed digerendus etiam est, variisq; mutationibus per diversas corporis humani officinas in succum & sanguinem vertendus: ita ad spiritualem vitam haud est satis spirituale verbi alimentum hausisse externo organo, aut animo semel amplexum esse, sed assiduis pietatis exercitiis inter quotidianas preces & meditationes Spiritus sancti ope ad fidei confirmationem & virtutum Christianarum capessenda augmenta conferendum, ut inde interior homo pinguescat quasi & plures subinde acquirat vires. Graviter Apostolus Hebr. 2. 1. jubet nos omnes *περισσότερωσ προσέχειν τοῖς ἀκροθεῖσιν; abundantius sive eò magis attendere ijs, quæ ex verbo Dei audivimus & didicimus μή ποτε παραρροῦμεν, ne forte pereffluamus:* ubi negligentes auditores, quibus verbi custodia parùm curæ est, confert cum vase pertuso, quod plenum rimarum

marum hâc illac perfluit, nec liquorem infusum continet: Id quia nul-
lum usum Patrifamilias præstat, à cœteris tandem separatur, & vel igne
absumitur vel prorsus abjicitur: sic, quorum animi rimarum pleni sunt,
è quibus *aqua viva* verbi Dei, vix hausta ilicò effluit, non placent æter-
no Patrifamilias, in cujus cœlesti domo locum nullum merentur, sed
foras ejiciuntur, ut pedibus conculcentur & æternum pereant.

24. Duo autem verbi auditi *custodia* complectitur I. *Diligentem
puræ doctrinæ conservationem*, quam sibi omnium quidem maximè cõ-
mendatam habere debent Ecclesiæ ministri & Pastores, qui hinc vo-
cantur *דַּרְשֵׁי* *speculatores*, Ezech. 3. 17. Et *ἐπίσκοποι* Act. 20. 28. Tit. 1. 5.
1. Pet. 5. 2. quod, quemadmodum speculator super muro aut specula
constitutus accurratè singula observat, & cum periculum urbi immi-
net, id, quantum in se, depellit & avertit: sic ministrorum Ecclesiæ
officium sit, sanctam Dei civitatem Ecclesiam, in eaque incomparabile
verbi divini *κεκλήριον* custodire, ne ab hostibus circumvagantibus vaste-
tur aut diripiatur. August. in Psalm. 226. *Ideo altior locus positus est
Episcopis, ut ipsi superintendant & tanquam custodiant populum: quomo-
do enim vinitori altior sit locus ad custodiendâ vineam: sic & Episcopus al-
tior locus factus est.* Ipsorû munus est *ascendere ex adverso & opponere se
murû pro domo Israel, ac stare in prælio in die Domini.* Ezech. 13. 8. in quæ
verba Prophetæ Gregor. homil. 14. in Evangel. hæc scribit. *Ex adver-
so ascendere est quibuslibet potestatibus pravè agentibus rationis liberâ
voce contraire: & in die Domini pro domo Israel in prælio stamus ac mu-
rum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex
justitiæ autoritate vindicamus.*

25. Incumbit tamen etiam reliquis vitæ humanæ ordinibus, ut
conservent puritatem verbi divini: Et *Magistratus quidem* id facit, si
sit sollicitus, ut idonei Ecclesiæ præficiantur ministri, ut iisdem de ho-
nesta sustentatione prospiciatur Es. 29. 23. ut tranquillitas in Ecclesia
conservetur, ut cultus divinus collapsus aut labefactatus restituatur, ut
in hæreticos seductores diligenter inquiratur, iidemque legitimis &
verbi Dei conformibus modis & rationibus coërceantur atque reprimantur,
de quibus sigillatim hîc agere non est nostri instituti. Sed &
privatus quisvis ad conservationem puræ doctrinæ multum confert, si in
eadem familiam suam assiduè informet, vitet commercia pseudodo-
ctorum, eosdemque clam irrepentes vel Pastori ordinario, vel Magi-
stratui publico significet: id quod omnem fidelem Reipubl. Civem de-
cet. Confer Luther. in Psalm. 82. graviter de hac re agentem.

26. Deinde verbi divini custodia complectitur etiam *serium stu-
dium credendi promissionibus Dei, ac parendi præceptis ejus*: quò perti-
nent pleraque scripturæ dicta, quibus Deus mandat ut præcepta sua,
pacta

pacta, eloquia, leges, testamenta, vias, verba, sermones custodiamus: Gen. 17. 9. Tu ergo custodies pactum meum &c. Deut. 4. 2. Custodit e mandata Domini Dei vestri, quæ ego precipio vobis. v. 40. Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego precipio tibi. Proverb. 3. 21. Custodi legem meam, atque consilium meum. cap. 7. 1. Custodi sermones meos, atque præcepta mea recende tibi &c.

27. Hoc studium obtemperandi voluntati divinæ in lege & Evangelio revelatæ, qui non amat, *fidelis custodis munus & officium non tuetur*, quocumque in ordine vivat. Nondum muneris sui partes explevit Theologus & verbi concionator, si doctrinam cœlestem sincerè auditoribus proponat, eosdem inde informet, consoletur, exhortetur, si hæreticas opiniones & prava dogmata refutet, nisi vitæ etiam accedat sanctimonia, morum sincera minimèque fucata probitas, ac ardens desiderium præstandi ea, ad quæ auditores suos ex verbo Dei excitat. Unde Apostolus non tantum monet Episcopum, ut sit *διδασκικός* 1. Timoth. 3. 2. ut sit *δυνατός κὲ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆ ὑγιαίνουσῃ, κὲ τὰς ἀνὴρ λέγοντας ἐλέγχειν*. Tit. 1. 9. sed & honestam morum gubernationem ab eo exigit, & assiduum studium virtutum, quarum benè multas recenset 1. Tim. 3. 2. & seqq. ubi sub finem addit, *hæc tibi scribo, ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia*: tacitè innuens, infidelem domus Dei ministrū esse & custodem, qui non etiam pietatis & virtutis exercitiis invigilat: confer. 1. Tim. 4. 7. & 12. cap. 6. 11. 2. Tim. 2. 15. & 22. Tit. 1. 7. & 8. cap. 2. 7. Graviter Hieronym. Epist. ad Fabiol. *Tanta inquit debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, ut & gressus ejus & motus & universa vocalia sint, veritatem mente concipiat & toto eam habitu resonet & ornatu, ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. Illi rectè redarguere falsa possunt, quæ falsa agere nesciunt*, inquit Gregor. lib. 7. moral. & iterum: *Correptionis ausum perdunt, qui fallaciter vivunt*: & lib. 19. moral. *Loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur*. Lactant. lib. 3. instit. cap. 16. *Bonum est recta & honesta præcipere, sed nisi & facias, mendacium est, & incongruens atque ineptum non in pectore, sed in labiis habere bonitatem*, quod pertinent vulgò noti versiculi:

Qui pascis plebes, prudenter vivere debes;

Prodest Doctor ita, si consonet & bona vita.

28. Simili ratione & politicus magistratus, ut veri cultus divinæ fidelis custos sit, præter ea, quæ *θεοει* 24. enumerata fuere, ipse quoque *εὐσεβειαν* & religionem colat, & quidem sincerè atque ex corde, alienissimus ab eorum opinione, qui putant, *non requiri in principe veram pietatem, sed sufficere illius quandam umbram & simulationem externam*. Hoc Deus severè mandat Deut. 17. 18. *Postquam Rex sederit in*
folio

folio regni sui: describet sibi Deuteromium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticis tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Ad Josuam Dominus ait Jos. 1. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo. Cui mandato, qui præstant obsequium, ii tacitis quibusdam stimulis & calcaribus ad timorem Dei subditos suos excitant. Est vita ipsorum speculum, in quo se contemplantur subditi: Est exemplar, ad quod vitam conformant: est norma secundum quam mores dirigunt. *Qualis est Rector civitatis, talis etiam habitantes in ea.* Eccles. 10. 2.

29. Tandem promiscuè quivis in communi & civili vita tum demum verbum Dei probè custodire dici possunt, cum veritati cœlesti constante fide adhærent, fideique varios fructus proferunt, diligunt Deum & proximum, officii demandati partes ritè diligentèrque exequuntur, omnes vitæ actiones juxta verbi divini normam instituunt, ab eaque neque ad dextram neque ad sinistram deflectunt, quæ omnia non est hujus loci, copiosius persequi.

30. Atque hæc custodiendi verbi divini ratio passim hodie in omnibus ordinibus hūanæ vitæ desideratur. Non desunt acres disputatores, qui falsa Hæreticorum dogmata calamo & lingua ingeniosè solidèque ex cathedra refutant: desunt tamen non rarè, qui se præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate: quod tamen à quovis Ecclesiæ Doctore Apostolus exigit Tit. 2. 7. Pariter non desunt Rerum publ. moderatores & præsides, qui, ut vera religio quoad doctrinam inter subditos floreat, solliciti sunt, non foventes vel hæreses vel schismata: pauci tamen sunt, qui etiam religiosè vivendo religionem inter suos custodiant & propagent: quos populus infelici imitatione sequitur, quem sæpè videmus & audimus gravissimo odio persequi Evangelicæ doctrinæ corruptores, quo pacto laudem merentur: at ut Evangelio conformè agant vitam, parùm laborant, dediti sæpè vitiis & sceleribus, à quibus ipsi Ethnici & quivis infideles abhorrent. Perfidus esset & improbus urbis & propugnaculi custos, qui verbis quidem magistratui suo omnem fidem polliceretur in tuenda urbe, opere autem & clandestinis consiliis hostibus invadendæ & oppugnandæ munitionis vias monstraret: ita perfidi doctrinæ Christianæ custodes illi sunt omnes, qui Evangelium & sanam doctrinam auribus animique assensu complectuntur: operum autem perversitate & morum impietate adversariis & infidelibus occasionem præbent Evangelium blasphemandi, ut jure objici iis possit, quod ad Rom. 2. 24. Apostolus scribit: *Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes.*

31. Quæ etiam dubio procul præcipua causa est ob quam ubiq; ferè graves hodiè invalescunt errores, & vetus idolomania olim masculè expugnata novas vires acquirit, ad antiquã in multis regionibus sedem obtinendam. Indigni enim, divino judicio, sunt, quibus diutiùs committatur *ὁρδοξίας* custodia, qui perfidi sunt ob scelera sua proditores. Quemadmodum custos urbis, qui fidem & diligentiam simulans ipso facto hostibus in Reipubl. detrimentum favet, non statu tantum suo dimovetur, sed & in capitis venit periculum: ita Pseudochristiani Evangelium & sanam doctrinam ore subinde crepantes in peccatis tamen ac sceleribus insanis modis more Ethnicorum sese volutantes, & verbi divini impediens fructificationem, id merentur, ut ablato doctrinæ salutaris thesauro in discrimen salutis adducantur.

32. Est verò sciendum hoc loco, non eandem utriusque partis, quã fidelis verbi divini custodia constat, esse rationem. *Prior* enim puræ nimirum doctrinæ conservatio perfecta esse debet, ne quid feratur, quod salutis & fidei fundamentum directè impugnat, & quantum in se, evertit. Quisquis enim patitur & connivet ut fermentum humanarum superstitionum verbo admisceatur, officio fidelis custodis non fungitur. *Posterior* verò pars serium scilicet studium credendi promissionibus Dei & parendi præceptis eius perfecta non est in hac vitâ. Neque enim eò in hac imbecillitate ascendimus, ut promissionibus Dei sine ulla dubitatione semper, præsertim tempore crucis & tribulationis adhæreamus, aut voluntatem ejus omnibus modis exequamur. Et nihilominus pii & fideles etiam inter tot infirmitates dicuntur custodire verbum Dei. modò subinde contratentationes carnis, mudi & Satanæ pugnent, deplorent adhærentia vitia pravæ concupiscentiæ & inordinatorum affectuum: ac carni dominium nunquam concedant. Ita à Deo ipso custodivisse dicitur David *mandata & præcepta divina*. 2. Reg. 11. 34. & cap. 14. 8. quod ipse quoque de seipso creberrimè affirmat. Psal. 18. 22. & 19. 12. & 119. passim: qui tamen interim *pro remissione peccatorum cum omnibus sanctis orat* Psal. 32. 6. & deprecatur vocacionem sui in severum Dei judicium Psal. 143. 2.

33. Non incommodè videtur distingui posse inter custodiam verbi Dei *Evangelicã & legalem*. *Legaliter* nemo hominũ post lapsum in hac vita mandata Dei custodit, quod Apostolus Rom. 8. 3. expressè inter *ἀδύνατα* refert: *πολλὰ πταίομεν ἀπαντες* inquit Jacob. 3. 2. ita ut nemo possit dicere *mũdum est cor meum, purus sum à peccato*. Prov. 20. 9. si quis autè dicat, *se non habere peccatũ, is mendax est & veritas non est in eo*. 1. Joh. 1. 8. *sumus & manemus singuli in hac vita carnales, venundati sub peccato, non habitat in nobis bonum; velle quidem adjacet nobis, perficere autem bonũ in nobis non invenimus*. Rom. 7. 14. & 18. *Evangelicè* autè custodiunt

ver-

verbum Dei omnes verè credentes, dum perfectam obedientiam legi à Christo præstitam & in Evangelio omnibus oblatam fide amplectuntur, & ita in iudicio Dei comparent, quam fidem comitantur grati bonorum operum fructus, charitas erga Deum & proximum, serium studium & sancti conatus Deo obtemperandi ac vestigia Christi variarum virtutum assiduo exercitio sequendi. Et hoc sensu phrasis, *custodire verbum Dei* in nostra sententiola accipitur, ut & alibi sæpissimè.

34. Vidimus & explicuimus *subjectum* verborum Christi: *prædicatum* superest, quod unâ voce *Beati* comprehenditur. *Qui verbum Dei audiunt & custodiunt, beati prædicantur.*

35. Voce *beatitudinis* omnis generis bona tum corporis, tum animæ, tum temporalia, tum æterna comprehenduntur, confer supra th. 3: quæ omnia Deus promittit audientibus & custodientibus verbum suum, quanquam spiritualium & æternorum bonorum potissima habeatur ratio, & quæ hujus vitæ ac temporalia sunt, semper annexam habeant exceptionem crucis & calamitatis. Est diligens verbi auditor & fidelis custos beatus omni ætate & tempore, est beatus omni terrarum loco, in utraque fortuna adversa & secunda, in omni vitæ ordine, in omnibus officii actionibus & studiis: habet, dum vivit, certam beatitudinis cœlestis consequendæ spem, quâ sustentatur in ipsa morte, & tandem ad æternam ejus possessionem pervenit. quæ omnia sigillatim expendere ob nimiam prolixitatem non possumus.

36 Digna sunt quæ huc apponantur devotissimi Bernardi verba ex sermone de *multiplici utilitate Verbi Dei* p. 370. ubi *Beati*, inquit, *qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Et mox: *Vultis nosse quàm beati? Primum quidem sonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatque: sed continuo, si benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est & gladius, & medicina & confirmatio & requies, resurrectio quoque & consummatio nostra. Nec mireris, quod verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus esse, quantum spectat ad justificationem, siquidem & futurum est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiatur & illud peccator & conturbabitur venter ejus: à voce illa carnalis anima contremiscit. Omnia namque cordis secreta rimatur atque dijudicat sermo vivus & efficax, cordium atque cogitationum perscrutator. Unde & licet mortuus in peccato, si audieris vocem filii Dei, vives: sermo enim quem loquitur Spiritus & vita est, si cor tuum induratum est, memento scripturæ dicentis, emittet verbum suum & liquefaciet ea. Et item. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est: si tepidus es & evomi jam reformidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium ejus ignitum valde. Quod si tenebras ignorantie plangis, diligenter audi, quid loquatur in te*
Domi-

Domine Deus tuus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis. At fortassis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiam minima illuminatus agnoscis, sed sanctificabit te pater in veritate, quæ est sermo ejus, ut inter Apostolos audire merearis: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Iam verò cum laveris manus, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei: & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum ejus: ubi si consistunt adversum te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, & in eo facile triumphabis. Quod si forte, ut est certaminis consuetudo, contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum & sanabit te, & eripiet te de interioribus tuis, ut in te quoque impleatur, quod ait Centurio, cujus fides tam magnificè commendatur. Domine, inquit, dic tantum verbum, & sanabitur puer meus. Sed etsi titubas adhuc, confitere & clama: mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt egressus mei, & in verbis suis confirmabit te. In his atque hujusmodi persevera, in talibus jugiter exerce te, donec jam spiritus dicat, ut quiescas à laboribus tuis. In hoc verbo quiescens dulciter ac suaviter soporaberis, donec veniet hora, cum omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus & procedent. Hæc Bernardus, quæ ideò apponere placuit, ut non tantum præsens nostra sententia declararetur pientissimi patris devotâ meditatione, sed & immensa verbi divini virtus & efficacia exprimeretur, de qua etiam in seqq. non nihil agendum est.

37. Explicatione sententiæ Christi sic propositâ, reliquum est ut quæstiones aliquot & doctrinas, quarum considerandarum nobis occasio hîc præbetur, breviter subjiciamus & declaremus.

38. Prima esto. *Verbum Dei, ad salutem necessarium, à Scriptura sacra re non differt; sed Scriptura sacra est ipsum verbum Dei, & rursus, verbum Dei est in sa sacra scriptura.* Ubi tamen diligenter distinguendum est inter scripturam formaliter acceptam, id est, ratione externæ formæ, quæ in literarum figuris & apicibus consistit, consideratam, & materialiter sumptam pro re signata, sive eo ipso quod scribendo notatur ac significatur: Non illo, sed hoc modo, id est, ratione materiæ scriptura sacra & verbum Dei reipsâ idem sunt. Certum enim est, Spiritus sancti amanuenses, Prophetas, Evangelistas & Apostolos ea ipsa & non alia scriptis comprehendisse, quæ divinâ revelatione & inspiratione acceperunt, & mox vivâ voce auditoribus suis proposuerunt. Apostolus 1. Cor. 15. 1. scribit: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, id est, (explicantibus ipsis Jesuitis Justiniano & Estio) nihil novi dicturus sum, sed ea repetam, quæ pridem à me audivistis, & fide complexi estis.* 2. Cor. 1. 13. *Non alia vobis scribimus, quam*

quàm quæ legitis & cognoscitis: ubi potestatem facit Corinthiis confendi sua dogmata partim cum scripturis Prophetarum, partim cum concionibus vivâ voce habitis, quas si ruminare memoriâque repetere vellent, non dubitat, quin perpetuam suorum scriptorum cum cæteris scripturæ sacræ partibus & doctrinâ à se vivâ voce traditâ conformitatem sint reperturi. Vult, interprete Basilio, *Epistolas suas ex doctrinâ, quam vivâ voce tradiderat, cognosci, quemadmodum filii non degeneres ex similitudine cum parentibus agnoscuntur.* Phil. 3. 1. Eadem scribens me quidem haud piget; *tâ avtâ* non intelligit de aliis Epistolis, quas arte scripsisset, uti hîc nonnulli suspicantur, sed de eâ ipsa doctrinâ, quam vivâ voce Philippenſibus tradiderat, hanc in literas referre, se minimè pigere, ait: qua de re Niceph. lib. 2. histor. c. 34. optimè scribit: *Quæ Paulus præſens oratione suâ dilucidè docuerat, eadem per compendium abſens in memoriam revocans epistolas dedit.* Valdè Emphaticum est, quod 1. Joh. 1. 3. & seqq. extat, *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, & hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum, & hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis.* Pulchrè Irenæus in hanc rem lib. 3. advers. hæref. c. 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos venit Evangelium ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

39. Quemadmodum enim idem prorsus mandatum est Magistratus politici, quod præconum voce promulgatur, & quod publico descriptum diplomate columnæ vel curiæ valvis affigitur: sic eadem planè est voluntas Dei & verbum idem, quod sancti Dei homines instinctu almi spiritus & voce prædicârunt & calamo descripserunt: quod etiam tacitè innuunt scriptores Novi Testamenti, quoties ex V. T. allegant sententias ad rem præsentem pertinentes: interdum namq; utuntur hæc formulâ: *ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam:* confer Matth. 1. v. 22. cap. 2. 15. cap. 4. 14. interdum istâ, *ut impleretur, quod scriptum est: quod dicit scriptura: item, scriptum est in Prophetis, &c.* Matth. 4. 4. 7. & 10. Marc. 15. 28. Joh. 19. 36. Rom. 4. 3. cap. 10. 11. ex quo patet, id quod Prophetæ ore annunciârunt & prædixerunt, idem esse cum eo, quod & scripserunt.

40. Altera. *Distinctio Pontificia inter verbum Dei scriptum & non scriptum minimè est ferenda.* Non omninò tollimus distinctionem inter verbum Dei scriptum & non scriptum. Fuit enim aliquâdo tempus, quo Ecclesia tantum non scriptum verbum Dei habuit, nimirum illud, quod effluxit à mundi initio usque ad Mosis ætatem, cui primùm ipse Deus legem digitis suis scriptam exhibuit, Exod. 31. 18. Antequam enim

C

enim

enim hoc fieret, doctrina legis & Evangelii vivâ voce ab Adamo & reliquis Patriarchis fuit ad posteros propagata, iisdemque declarata. Fuit etiam tempus, quo Ecclesia habuit *Verbum Dei partim scriptum, partim non scriptum*: id nimirum, quo vixerunt sancti Prophetæ, quorum ætate lex Mosaica scripta quidem extitit: ipsorum verò vaticinia non ilicò fuerunt literis consignata; sed prius vivâ voce prolata. Confer. Jerem. 36. 2. & seqq. cap. 51. 60. Sic quoque tempore Christi & Apostolorum Verbum Dei fuit partim scriptum, partim non scriptum. Veteris enim Testamenti libri, Lex, Prophetæ & Psalmi scripti fuerunt, ad quos sæpissimè Salvator noster, Apostoli & Evangelistæ provocant: Christi verò conciones vivâ tantùm voce proponebantur, donec elapsis aliquot annis post ascensionem ejus in cœlis literis comprehenderentur: D. Paulus etiam prius ore, auditoribus suis verbum Dei tradidit, quàm idem scriptum ad diversa loca mitteret. Ex quibus patet, distinctionem inter Verbum Dei scriptum & non scriptum non prorsus repudiandam esse, sed suo loco & tempore rectè usurpari.

41. Pontificia autem distinctio nequaquam ferenda est, qui hodieque postquam Verbum Dei per Prophetas & Apostolos literis consignatum, & integer fidei morumque Canon constitutus ac Ecclesiæ commendatus est, *duas species Verbi Dei faciunt, vocantes Verbum Dei scriptum, quod libris Canonicis V. & N. T. continetur: non scriptum verò sive traditum, Prædicatum, Evangelizatum, quod, licet apud Patres, vel in Conciliis aut aliis Ecclesiæ Canonibus scriptum inveniatur: in veteri tamen aut novo testamento scriptum non legitur: idque verbum non scriptum hodierni quidam nova fraude in scripto totum, quamvis implicitè contineri volunt, imò in uno Symbolo Apostolico: quia in illo unico articulo Symboli: Credo Ecclesiã Catholicã. Nam, inquiunt, cum scriptura doceat, credendũ esse Ecclesiæ in omnibus, eamque nec falli nec fallere posse, docet consequenter in generali hoc principio totum & integrum Dei verbũ: quandoquidem omne illud, quod non est expressum in scriptura, continetur expressè in doctrina Ecclesiæ, quam nobis ut infallibilem commendat scriptura. Ad quam fraudẽ excogitandã veteres nimium fuere simplices, quorum multi fatentur, Verbum Dei non scriptum sive traditiones neque in scriptura apertè extare, neque ex ea evidenter deduci posse. Tanner. Compendios. relat. colloq. part. 2. c. 6. p. 37. ait, multa fide infallibili & divinã esse credenda, quæ in scripturã solã non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur. Et iterum alibi: Sunt articuli quidam ad fidem seu cultum religionis spectantes necessariò ab omnibus accipiendi. Similia plura adferri hîc possent, si liberet specialem Pontificiarum traditionum lustrationem instituere, quarum multæ, ipsis fatentibus, in scriptura nec explicitè nec implicitè habentur.*

Cœte-

42. Cæterum non esse tolerandam in Ecclesia isthanc distinctionem, variis probari rationibus potest: è quibus eam, quam supra quoque attigimus, urgemus maximè, ita argumentantes: *Ex qua distinctione sequitur, alia & diversa dogmata voce vivâ docuisse Apostolos, aliarursus & diversa scripsisse, ea ferenda minimè est.* Sed ex distinctione Pontificia verbi Dei in scriptum & non scriptum id ipsum sequitur. Ergò hæc distinctio ferenda non est. Ratio majoris est, quia ipsimet Apostoli fatentur, & confirmant, se eadè & non diversa præsentibus docuisse & absentes scripto complexos esse, quod *theos. 38.* ostendimus. Minor manifesta est, si consideremus traditiones, quas Pontificii ex verbo non scripto deducere solent, & *patri pietatis affectu & reverentia cum Veteris Novi-que Testamenti libris suscipiendas venerandasque docent:* quales apud Lindanum lib. 3. & 4. Panopl. Petrum à Soto libro contra Brentium. Bellarm. lib. 4. de V. D. non scripto & alios inveniuntur. *Oblatio sacrificii altaris, invocatio sanctorum, purgatorium, orationes, & oblationes pro defunctis, consecratio aquæ & olei in baptismo, Elementa, verba & effectus Sacramenti confirmationis, ordinis, Matrimonii, pœnitentiæ, extremæ unctionis, enumeratio peccatorum coram sacerdote, jejunia quadragesima & quatuor temporum, canon missæ, communio sub una specie, adoratio panis consecrati: indulgentiæ, rosaria, iubilus, cœlibatus sacerdotum, consecrationes salis, aquæ, cinerum, cereorum, placentarum, altarium, templorum, baptismus campanarum, vigiliæ, consecratio, adoratio, cultus & ornatus statuarum, peregrinationes ad statuas & reliquias, fraternitates Monachorum & Monialium, Canonicorum, Exorcistarum, acolythorum varii ordines, candelæ, vestes, palmæ, asinus palmarum, matutina, nocturnales & tumultuosæ, sepulchrum crucis, elevatio imaginis Christi, dejectio ignis & aquæ die ascensionis Domini, demissio lignæ columbæ in festo Pentecostes, festum corporis Christi cum omni apparatu.* De his omnibus altum est in scriptis Apostolorum silentium, quæ proinde ab iis sunt diversissima: pleraque etiam, imò omnia propter ad hærentem cultus meritique opinionem iisdem planè adversantur.

43. Ostendit res ipsa, in hunc finem ab adversariis esse excogitatam hanc distinctionem, ut præstò esset vel mantelum, quo omnis generis abusus & superstitiones tegerentur, vel fucus, quo eadem speciosè pingentur & ornarentur. Rectissimè Dn. D. Chemnit. Exam. C. T. part. 1. p. 61. *Locus communis* (de verbo Dei non scripto & traditionibus) *latissimè patet, complectens sinu suo, quicquid tradit pontificia Ecclesia, quod scriptura testimoniis doceri & probari non potest. Et verè est Pandora pixis, cujus operculo omne genus corruptelarum, abusum & superstitionum in Ecclesiam inductum fuit. Quid enim non licebit fingere admissio semel hoc postulato, non opus esse documentis & proba-*

tionibus ex scriptura? Quem errorem refutabimus, si vetustas, erroris & errantium multitudo potest errori patrocinium parere? Hoc siquidem argunt Pontificii sua de traditionibus disputatione, ut abusus qui præter & contra scripturæ regulam in Ecclesiam irrepsit, si modò latè pateant, & temporis aliqua præscriptione sint confirmati, titulum habeant non tantùm Ecclesiastica consuetudinis, sed quod plus est, Apostolicarum traditionum.

44. Tertia. Evangelista & Apostoli verbum Dei mandato & imperio divino scripserunt. Diximus thes. 14. doctrinam cœlestem ideo quoque vocari verbum Dei, quod ejusdem jussu, voluntate & mandato literis sit consignata: quod jam aliquantò uberiùs declarandum. Distinguimus verò inter mandatum internum & externum. Internum est ille divinus impulsus, quo sancti Dei homines moti & excitati non modò locuti sunt & prædicarunt verbum Dei, sed & literarum monumentis tradiderunt, de quo agitur 2. Tim. 3. 16. *Omnis scriptura est divinitus inspirata*, ubi observandum, quod Apostolus non dicit: *πάσα ἐν γραφῇ* sunt *θεόπνευστα*, omnia quæ scripturis continentur, sunt inspirata: sed *πάσα γραφῇ θεόπνευστος*, *omnis scriptura est divinitus inspirata*, ut sic ostendat non modò res scriptas, sed & ipsam scriptionem in se consideratam esse *θεόπνευστον*, & divino jussu susceptam. Hoc mandatum generale est, quo omnes Prophetæ, Apostoli, aliique, quorum manibus & calamis Spiritus Sanctus uti voluit, ad scribendum fuerunt obstricti.

45. Additum verò sæpissimè præter internum impulsus est *externum mandatum*, quod non semel Johannes Apostolus ἐν πνευματικῇ audivit: confer thes. 14. Ubi nihil valet exceptio Bellarm. lib. 4. d. D. V. c. 3. quod Johannes fuerit jussus scribere arcanas quasdam visiones, non doctrinam Evangelii & præcepta morum. Falsum hoc est. Nam quod Johannes jussus fuerit scribere etiam doctrinam Evangelii & præcepta morum, satis inde constat, quod Epistolæ ad septem Ecclesias Asiæ perscriptæ non tam visiones quàm dogmata continent: ut quod Ephesinam Ecclesiam collaudat à bonis operibus, à labore, à patientia, à puritate doctrinæ, ab odio hæreseos Nicolaitarum &c. Si de solis visionibus annotandis Johannes mandatum accepisset, utique in Apocalypseos descriptione nihil quicquam attulisset ad doctrinam Evangelii & præcepta morum pertinens, ne divini mandati parùm memor visus fuisset.

46. Accedit ratio officii, Apostolici, quod nō tantùm consistit in eo, ut vivâ voce Evangelium annuncietur, sed ut etiam scribendo testimonium de Christo, ejusque officio & meritis perhibeatur: Joh. 21. 24. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc & scimus, quia*

quia verum est testimonium ejus. Habebant id in mandatis omnes Apostoli, ut testarentur de Domino & Magistro suo. Johan. 15. 27. Vos perhibetis testimonium. Act. 1. 8. Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudaea & Samaria usque ad fines terra Act. 10. 41. seq. Dedit Deus eum manifestum fieri nobis praedeterminatis testibus, & praecepit nobis predicare populo & testificari. Huic mandato satisfaciendum erat non tantum praedicatione Evangelii, sed etiam scriptione rerum à Christo gestarum & sermonum ac concionum ejus, uti loco cit. perspicue docet Johannes, cujus verba hunc habent sensum. Hic est discipulus ille, qui prout iussus fuerat, testimonium & quidem scribendo perhibet, & scimus, quia verum est testimonium ejus, tum quia viva voce perhibuit, tum quod literis & scripto comprehendit: quo pertinet, quod idem ait Apocal. 1. 2. seq. Iohannes testificatus est verbum Dei & testimonium Iesu Christi, & quaecunque vidit. Beatus qui legit & audit verba Prophetiae hujus. Ex quibus verbis evidenter colligitur duplex de Christo testimonium, alterum quod legitur & literis mandatum est, alterum, quod auditur & viva voce profertur; Johannes sibi utrumque tribuit; ubi dicere velle, Johannem quidem praedicandi non autem scribendi mandatum habuisse, est eundem accusare, quod in testificando aliquid sine Dei voluntate, & sic contra officium Apostolicum suscepit peragendum.

47. Addimus & hoc, quod ideo Apostolis literarum notitia & scribendi facultas miraculose concessa fuerit, ut eadem in promulgandis dogmatibus religionis Christianae uterentur. Petrus & Johannes Act. 4. 13. dicuntur fuisse ἀνδρες ποιοὶ ἀγράμματοι (Syriacè ܐܢܕܪܝܬܐ ܕܥܘܪܝܢܐ) ἰδιώται homines sine literis & idiotae. Ex quo multi colligunt, eos ne quidem legendi & scribendi tenuisse rationem, inter quos ipse Jesuita Lorinus est, qui in commentario cap. 4. Act. vers. 13. ad vocabulum ἀγράμματοι, haec notat: illiterati & ignari prorsus literarum, cui favet consideratio status Apostolorum, quippe qui plerique manuaras tractabant artes, remoti à pedibus Scribarum & Pharisaeorum, penes quos ferè solos literarum & linguarum studia id temporis erant. Id certum est, si maximè Hebraea & Syriaca legere potuerunt & scribere, uti vult Jesuita Estius in annot. aur. p. 996. alias tamen linguas eos minime calluisse, quarum scientiam miraculose festo Pentecostes per visibilem Spiritus Sancti effusionem, fuerunt uno momento ornati. Act. 2. 4. & seqq. Porro, quemadmodum variarum linguarum notitia, quam subito imbuebantur pectora Apostolorum, inclusum habebat mandatum, ut omnibus gentibus & nationibus Evangelium suis linguis annuntiarent, ut unus quisque linguam suam, in qua natus esset, intelligeret. Act. 2. 8. Ita dum Apostoli scribendi etiam facultate fuerunt si-

mul donati, eo ipso tacite acceperunt quoq; mandatum ut scriberent. & quamvis non omnes & singuli scripta post se reliquerint, sufficit tamen ex toto collegio, cui mandatum scribendi fuit datum, aliquos scripsisse, quorum scripta reliqui suo suffragio confirmarunt & auditores suos ad ea remiserunt. Act. 15. 23.

48. Malè itaque sentit Lindanus lib. 1. panopl. c. 23. scribens, allegante Dn. D. Gerharo, *natura verbi Evangelici à literis & scriptura planè abhorret*: malè disputat Bellarm. lib. 4. de V. D. c. 4. *Scripturam N. T. non esse divino jussu & voluntate ab Apostolis consignatam literis*: malè Colterus in Enchirid. p. 42. *Christus nec Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit*. Quamvis enim noluerit Christus mysteria sua membranis committere, ac si sine iis prorsus esse nō possent, cū mysteria Christi Ecclesiae fuerunt commissa, antequā literis consignarentur; falsum tamen est, quod simpliciter & prorsus noluerit mysteria sua membranis committere. Cur enim Apostoli mysteria literis consignarunt, si id Christus noluit? ane dicendi sunt obliti fuisse sui muneris, & contra voluntatem ac mandatum Præceptoris sui rem tam arduam suscepisse?

49. Quarta: *Verbi divini V. & N. Testamenti libris comprehensum summa est, & ἀνορέουδου & majestas atque authoritas, quam ab uno & solo Deo habet. Hæ literæ sacræ, inquit Cypr. de lib. Nov. & Vet. Test. hi libri integri numero & authoritate: aliud eum istis nihil comparandum: quicquid extra hos fuerit, inter hæc sancta & divina nullatenus est recipiendum*. Et serm. de Baptism. Christi. *Legat hinc unum verbum & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inveniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas promanasse, & hinc nasci & huc reverti, quicquid Ecclesiastica continet disciplina*. August. de Baptism. contra Donatist. lib. 2. c. 3. *Quis nesciat sacram scripturam Canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiosem in ea re cujuslibet peritioris & per aliorum Episcoporum graviorum autoritatem doctioremque prudentiam & per Concilia licere reprehendi, si quid in iis fortè à veritate deviatum est*. Quæ Augustini verba allegantur quoque Jur. canon. decret. part. prim. distinct. 9. c. 8. Similes veterum Patrum de authoritate scripturæ numeroque plurimas sententias collegit Flac. clav. part. 2. p. 122. seqq.

50. Habet autem scriptura Sacra divinam hanc & supremam authoritatem ab uno & solo Deo, nequaquam verò ab Ecclesia. Licet enim
Eccle.

Ecclesia de scripturæ sacræ autoritate & maiestate testetur, nihil tamen autoritatis eidem propriè loquendo confert: imò illud testimonium Ecclesiæ præsupponit, & ut sic dicamus, prærequirit autoritatē scripturæ omnibus numeris perfectam: quemadmodum prius inest puritas auro, quàm eandem inesse peritus aurifaber testetur, & prius homini in esse debet virtus & integritas, quàm ejus laudem & testimonium petat aut dignè referat. Opera & effecta dignitatem & præstantiam suam habent à sua causa, à qua trahunt originem. Est autem scripturæ sacræ autor unus & solus Deus, qui ipse loquitur in eadem & per eandem, unde vox Dei, sermo Dei, verbum Dei appellatur. Rectè Hieron. in præf. Pentateuch. per Apostolorū os, inquit, *mibi Christus sonat.* & Greg. *Quid est sacra scriptura nisi quedam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua verba Dei sonant & cor Dei discitur:* Ab uno itaque & solo Deo scriptura suam habet autoritatem, non ab Ecclesia, quæ tantum abest ut sit causa verbi & scripturæ, ut potius ab eadem tanquam causa & origine certo modo dependeat: confer Gal. 4. vers. 19. 1. Petri. 1. 2. 3.

si. Deindè autoritas & majestas scripturæ est *interna*, non dependens ab aliquo externo principio, à quo nullam omninò sentit mutationem; sed semper eodem modo se habet, sive ab hominibus agnoscat & deprædicetur, ut divina; sive ab iisdem negligatur: nihil illi dignitatis vel accedit vel detrahitur. Quemadmodum immensa Dei gloria in se non augetur, cum pii eandem celebrant: ratione nostri quidem & *ἑλικός* exaltari Deus passim dicitur: in se autem altissimus non exaltatur; neque etiam cum impii eundem blasphemant, majestatis suæ jacturam patitur, sed manet immutabilis: sic quoque verbum, quod ex ore Dei procedit simul, inde majestatem insitam & quodammodo innatam habet, quæ non incrementum accipit si ritè agnoscat & celebretur, nec minuitur, si impiè negligatur & contemnatur. Perspicuum hoc sit vel humanarum rerum consideratione: Magnatū, Principum & Regum literæ suam habent pondus ac majestatem ab iis ipsis, à quibus proficiscuntur; tabellarii & præcones publicè easdem legentes & promulgantes nihil addunt, & ne possunt quidem addere autoritatis: Sic quoque æterni Dei epistola ad humanum genus benignè scripta, suam cœlitus ad nos dignitatem intra se adfert, nec demum ab Ecclesiæ testimonio accipit. Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. p. 261. *non expectamus, inquit, testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quaritur:* (Græcè: τῆ τῆ κυρίας φωνῆ πισύμεθα τὸ ζήλευμενον) *quæ est magis fide digna, quàm quævis demonstrationes, vel potius, quæ est sola demonstratio.*

Quinta.

52. Quinta. *Verbum Dei Prophetarum & Apostolorum ministerio scriptum perfectum est, omnia fidei morumque praecepta sufficienter continens.* Est enim *Dei verbum*, Dei inquam, sapientissimi ac perfectissimi, qui voluntariè agens & perfectum producere volens opus, nihil efficit, quod aliquà imperfectione laboret. Rectè Iren. lib. 2. advers. hæres. cap. 47. *Scripturae perfectae sunt, quippè à verbo Dei & Spiritu ejus dictata.* Quemadmodum totum hoc universum perfectum est, in quo ad creaturarum pulchritudinem, varietatem, ordinem desiderari nihil potest, ob summam architecti & creatoris sui perfectionem, cui placuit omnia valdè bona facere; ita & scriptura sacra perfectionis laudem ab authore Deo habet, qui eo finè scripturas exarari & extare voluit, ut de sua essentia & voluntate nos plenè perfectèque ad salutem instrueret: unde etiam Spiritus Sanctus ipse, quemadmodum res à se creatas vocat valdè bonas: ita scripturam à se sanctis hominibus inspiratam vocat perfectam, Psal. 19. 8. *Lex Domini* לְיָמֵינוּ *perfecta, convertens animas;* ubi legis nomine generaliter tota doctrina cœlestis comprehenditur, quod è D. Pauli allegatione Rom. 10. 18. patet, qui Psalmum istum ad Apostolorum prædicationem accommodat. Vetus interpres vocem Hebræam transtulit *immaculata*: inde quidam Pontificiorum ajunt: esse quidem legem Dei *immaculatam*, quippe quæ non permittat scelera & peccata, ut quædam leges gentium: non autem propterea esse *perfectam*: rectius autem reddi *perfecta*, ex effectu, qui loc. citat. additur, conspicuum est: dicitur enim *tribuere sapientiam parvulis*, id est, eos, qui rudes sunt, & rerum divinarum ignari cœlesti scientiâ sapientiâque cumulare, & ita perfectos reddere homines atque instructos ad omne opus bonum, 2. Timoth. 3. 16. hinc & Chaldaica paraphrasis habet vocabulum שְׁלֵמָה quod propriè rem absolutam & perfectâ notat. Ipse Jesuita Lorinus in comment. non rejicit Tertullianum, qui nostram interpretationem amplectitur: imò addit: *Forſitan alludit (Psaltes) ad solis pulchritudinem omni maculâ carentis, & ad ejus eximiam perfectionem*, rectissimè utramque significationem conjungès.

53. Accedit quod in verbo Dei & scriptura sacra modus & ratio consequendæ æternæ beatitudinis monstratur. Qui enim *verbum Dei audiunt*, meditantur, *custodiunt*, *beati* à Christo Salvatore prædicantur hac nostrâ sententiolâ, quod certissimum summæ perfectionis, de quo hoc loco quæritur est argumentum. De Ethicæ Aristotelicæ perfectione multi variè disputant, etiam inter Jesuitas & nihil eidem deesse ajunt, quod omnia contineat, quorum observatione & πράξις civilis beatitudo obtineri possit. Cui opinioni uti non refragamur; ita longè rectiùs scripturam sacram & verbum Dei perfectissimum esse dicendum & habendum statuimus, eò quòd viam ad æternam beatitudinem doceat.

ceat. Pertinent huc verba Salvatoris nostri Joh. 5. 39. *Scrutamini scripturas, quia putatis vos vitam æternam in iis habere*: quam præclaram de scripturis existimationem Christus omnibus modis approbat simul ostendens modum, quomodo in scriptura vitam æternam invenire possint, si nimirum promissum Messiam in eadem unicè quærant. Simile est quod Apostolus 2. Tim. 3. 15. habet, *literæ sacræ possunt te σοφισαίς σοφισίας*, sapientem reddere & instituere ad salutem: in quæ verba Jevita Justinianus ita scribit: *sacrarum literarum scientiæ utilitatem atque fructum proponit Apostolus, quæ te, inquit, possunt instruere ad salutem, Græcè σοφισαίς, id est, erudire, ut interpretatur Ambrosius, vel sapientem reddere non inani aut futili sapientiâ, sed ad salutem, hoc est, salutiferâ, quæ videlicet salutem afferant sempiternam, neque ullum, ut ait Chrysostomus, justitiæ locum relinquunt*. Optimè: ex quo rectè sacræ scripturæ perfectio contra Pontificios astruitur: Si enim ita sapientes reddit homines, quantum in se, scriptura sacra, ut nullus stultitiæ relinquatur locus, quis non hinc absolutam ejus perfectionem elucere perspicit? Et hoc ipsum etiam Abraham in parabola Luc. 16. 29. confirmat, monstraturus enim rationem, quâ Divitis Epulonis fratres fugere æternam damnationem certò valeant, inquit: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos*. Hinc ergò observandum, inquit Jansenius, harm. cap. 97. *quæ sacrosancta & nobis debeat esse scriptura sacra, ut quæ efficacior nobis esse debeat ad rectè vitam instituendam, quam quivis prædicator, etiamsi à cælo atque ex mortuis ad nos veniret nunciaturus visa à se aut experientiâ percepta*. Deinde hanc (scripturam) ad ea, quæ de futura vitæ statu cognoscenda sunt, sufficientem esse.

54. Poteramus plurima in hanc rem adducere, & perfectionem sacrarum literarum sive verbi Dei multis ostendere modis: sed inhæremus sententiolæ nostræ contenti nunc iis, quæ ex eadem sponte fluunt: quibus cum atque ita cum ipso Christo è diametro pugnant *φορτικὰ ἀκέραια* Pontificiorum: qui disputant, *scripturam esse imperfectam, mutilam, mancam, quæ non contineat omnia, quæ ad salutem, fidem & mores piè vivendi pertineant*: censur. Colon. fol. 220. *non contineri expressè in scripturis totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, traditiones*. Bellarm. lib. 4. de V. D. c. 3. *omnia fidei mysteria creditu necessaria in corde Ecclesiæ clarissimè exarata, in membranis tam N. quàm V. T. multa desiderari*. Coster. in Enchirid.

55. Notandum tamen in hac de perfectione scripturæ quæstione, nos, dum pro ea pugnamus, nequaquam scripturam sacram eo sensu vocare perfectam, quod omnia simpliciter, quæ ad fidem & mores sunt

D

scitu

scitu necessaria κατὰ ῥητὸν & αὐτολεξεί secundum literam & totidem
 verbis in eadem extent, sed quædam secundum rem, quædam secun-
 dum literam sive, quod in idem recidit, quædam explicitè, quædam impli-
 citè in iis contineri dicimus, ut per certam & legitimam consequen-
 tiam inde deduci possint: ubi ea, quæ per legitimam consequentiam ex
 ipso ῥητῶ scripturæ deducuntur, non minoris sunt momenti & valoris,
 quàm quæ juxta literam in Bibliis sacris leguntur, ut Nazianz. lib. 5. de
 Theol. inquit: *Perinde sunt ea, quæ ex scripturis colliguntur, atq; ea quæ
 scribuntur. Ex verò enim nil nisi verum sequitur*: & quicquid per soli-
 dam & validam consequentiam innotescit, id non potest non esse ve-
 rum. Ludunt itaque Pontificii & maximè Bellarm. loco præced. th. cit.
 in vocabulo *expressè*, per quod si hoc intelligunt, omnia ad fidem &
 bona opera sive mores necessaria αὐτολεξεί in scripturis extare, igno-
 rant controversiæ statum & ignorationem elenchi committunt, cum
 nemo orthodoxorum hoc asserat, qui, licet fortè aliquando ita loquan-
 tur, quod omnia ad fidem & vitæ sanctimoniam necessaria in sacris li-
 teris expressè inveniuntur, non tamen sentiunt, singula totidem literis
 ac syllabis expressè esse, sed ita iisdem comprehendi, ut vel ῥητῶς legan-
 tur, vel faciliè à quovis, præsertim gratiâ Spiritus sancti accedente, in-
 telligi valeant.

56. Sexta. *Verbum Dei & scriptura sacra in rebus fidem ac salu-
 tem humanam simpliciter spectantibus non obscura sed perspicua & clara
 est.* Redit ratio superior. Quia verbum Dei est. Possè autem Deum
 clarè & perspicuè loqui nemo dubitat. Lactant. lib. 6. instit. cap. 21. *Num
 Deus & mentis & linguæ artifex disertè loqui non posset? Non verò tan-
 tum potuit sed & voluit in scripturis clarè loqui, quod ex fine revelati
 & scripti verbi patet, qui est nostra ad salutem informatio. Rom. 15. 4.
 2. Tim. 3. 15. quem finem non consequeretur Deus, nisi clara essent ea,
 quæ simpliciter sunt scitu necessaria: cui enim proponuntur talia quæ
 captum omninò superant, is nullum inde fructum percipit, & infelicis-
 simè informatur. Iterum Lactant. lib. cit. *Deus summâ providentiâ ca-
 rere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omni-
 bus loquebatur, August. Psal. 8. Inclinauit Deus scripturas ad infantium
 & lactentium capacitatem. Chrysost. hom. 3. in 2. Epist. ad Thel. πάντα
 σαφήν ἢ εὐδέα τὰ περὶ ταῖς θεῖαις γραφαῖς: πάντα τὰ ἀναγκαῖα, δὴλα.*
 Hinc idem Spiritus Sanctus, qui verbum Dei *legem vocat perfectam* Ps.
 19. 8. id ipsum vers. seq. vocat *præceptum lucidum, illuminans oculos*, nō
 intelligens tantum Dominica præcepta, ut Bellarminus & ex eo Lori-
 nus putat, sed scripturam universam sive utramque doctrinæ Christia-
 næ partem legem, & Evangelium, id quod nō modò Augustinus conc. 23.
 in Ps*

in Psalm. 119. itemque Hieronymus & nonnulli etiam Pontificii testante Genebrardo fatentur: sed & res ipsa monstrat, cum effecta illa, quæ David Psalm. 19. verbo Dei tribuit, non possint de sola lege accipi.

57. Observandum verò & hîc; minimè nos sentire, nulla prorsus in scripturis sacris esse obscurius dicta & intellectu difficilia: id enim libenter largimur, & adversariis etiam non urgentibus, concedimus, multa esse in vaticiniis, typis, visionibus, quæ non primo statim intuitu manifesta sunt: de dogmatibus autem fidei ad salutem simpliciter necessariis sermo nobis est, quæ omnia clarè & perspicuè certis sedibus in scriptura sacra tradi asseveramus. Nota est distinctio dictorum scripturæ in quatuor classes: quarum prima est *Elementarium*, altera *sublimium*, tertia *mysticorum*, quarta *onomasticorum*. In tribus postremis, obscuritas sæpè non exigua occurrit, in prima verò, quæ summa & necessaria religionis nostræ capita continentur, omnia clara sunt & manifesta.

58. Septima. *Verbum Dei sincerè prædicatum & legitimè auditum est efficax medium excitanda salvifica fidei & consequenda æternæ beatitudinis.* Disertè enim Christus, *Beati*, inquit, *qui audiunt Verbum Dei.* Idq; per universam scripturam sæpissimè traditur. Ps. 19. 8. *Lex Domini perfecta, convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.* v. 19. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* confer Ps. 119. vers. 92. & 105. Esa. 55. 10. 11. Jerem. 29. 29. *Hæc dico, ut vos salvi fiatis,* ait Dominus Joh. 5. 33. & cap. 6. 63. *Verba quæ locutus sum vobis, sunt spiritus & vita, quod mox Petrus agnoscit inquit, verba vitæ æternæ habes.* cap. 17. 20. *Oro pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* In quæ verba gravissimè Lutherus ita scribit: *Diligenter observate hunc textum, quanto perè Christus Apostolorum conciones extollat ac commendat, quòd nimirum per easdem ad ipsum veniamus & in ipsum credamus: quam sententiam jam oppugnat quædam diaboli progenies, quæ docet externum verbum contemnere & omnia interno spiritui adscribit, quòd is omnia faciat, & quod res externa ac conciones nihil profint ad fidem pectore concipiendam; hominem internum requirere quoque internum verbum: Hisce mendacibus Spiritibus textus iste (qui per verbum eorum in me credituri sunt) ob oculos ponendus & majoribus literis scribendus est: iidemque interrogandi sunt, an vox credere ad externum vel internum hominem pertineat? an Apostoli interna vel externa verba prædicaverint? Certè negare non poterunt, quod τὸ credere ad cor & internam mentem pertinens itemq; (ipsorum verba) conjungenda sint ad unum internum hominem constituendum &c. Emphatica quoque sunt, quæ Dominus ad Paulum ait, Act. 26. 16. seqq. *Constituam te ministrum & testem eorum, quæ vidisti, mittam te ad gentes ad**



aperiendum oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, ac de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ in me est: quibus similia sunt verba Angeli ad Cornelium. Act. 10. 11. 14. Petrus dicet tibi verba, per quæ salveris tu & domus tua, confer Rom. 1. 16. cap. 10. 17. cap. 15. 4. 1. Cor. 1. 21. Eph. 1. 13. Col. 1. 6. 2. Tim. 3. 15. & 16. Heb. 4. 12. Jacobi. 1. 18. 1. Pet. 1. 23.

59. Non sincerè id nobiscum credunt multi Calvinianorum, quamvis honorificentissimè de verbi divini efficacia sentire videri velint. Carolstadius Sacramentarii certaminis autor sui ipsius testimonio Schwëckfeldii fuit socius, qui etiam libellos titulis verè Schvvenckfeldianis insignitos edidit: *de Dei revelatione in nostro interiori, de arcana Dei voluntate &c.* Cinglius in Confess. ad Carol. Spiritus, inquit, non indiget aurigâ vel vehiculo, ubi non tantùm hoc vult, Spiritum Sanctum posse etiam immediatè fidè in corde accendere, sed simul planè negat eundem verbo externo tanquam efficaci medio in hominum conversione uti: id quod alibi in resp. ad serm. Luth. expressè fatetur: *Fides nequaquam ex verbis desumi potest, seu addisci, sed Doctor hujus Deus est.* Beza part. 2. resp. ad Colloq. Mompelgart. *In regeneratione hominis valdè fallitur, & in Deum ipsum injurius est, quis quis aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipsi externo Dei verbo, vel Sacramentalibus signis Deum existimat, vel tantillum divinæ illius virtutis suæ hominibus renovandis & aternâ vita in Christo servandis tribuere.* Grynæus in præfat. Theorem. Theolog. *Asseveranter affirmo, esse inscitiam indignam Christi servis, nescire quod per Evangelium & Sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut non per Evangelium & Sacramenta nos salvari credamus, sed per unum Iesum Christum &c.* Plura id genus collegit Dn. D. Heilbrunnerus in Schvvenckfeldio- Calvinianismo.

60. Sed nec Pontificii de scripturæ sacræ & verbi divini efficacia rectè satis pieque docent. Dum enim in Ecclesia & apud Ecclesiam, id est, in Pontifice & apud eundem verum scripturæ sensum quærendum esse docent, negantes scripturam dicere posse, quis sit verus suus sensus: dum quidam scripturam literam mortuam vocant: dum plumbea regula Lesbia adificationis eam dicunt esse similem, quæ ad sensum, quem quis ante secum præsumserit accommodari se facile patiat, imò dum à scripturarum lectione Laicos arcent, ac si nullum inde usum haurire iidem ad fidei confirmationem & vitæ sanctimoniam possent, certè in verbum Dei non parùm sunt injurii.

61. Omnium verò pestilentissima est Schvvenckfeldianorum, Anabaptistarum & tota Enthusiastarum sive veterum sive novorum damnata colluvies, quæ negat externam verbi prædicationem & audi-

tum

tum efficax fidei & salutis conferendæ esse medium, vocans externum
verbum humanam vocem, sonum, literam vel concionem, in qua nulla vir-
tus divina sit inclusa, non tantum quando Petrus & Paulus conciones ha-
bent, sed & in ipso Christo: itemque docens, Verbum externum duntaxat
de verbo interno, quod Christus est, testari, monere, excitare, non autem
per illud tanquam per medium dari remissionem peccatorum, cum id soli
verbo interno, quod est Christus, competat: & rursus scripturam Prophe-
ticam & Apostolicam esse externum & corporale Dei verbum, non autem
verbum Dei vivificum, quo anime pascuntur. Cui impietati opponenda
sunt clarissima scripturæ dicta thes. 58. allegata, quæ vel frigidâ exce-
ptiunculâ de verbo essentiali & hypostatico, vel aliis commentis &
glossis nequaquam eludi sese patiuntur, id quod vel singulorum loco-
rum accuratior inspectio monstrat.

62. Ut omnia clariora sint, addimus, in hac quæstione non tri-
bui à nobis verbo Dei prædicato efficaciam, ut *Causæ alicui principali*,
sed tantum ut *ministeriali*, cui tamen vis divina non *subjectivè & natu-
raliter inhereat*, quemadmodum cultro aut ferræ virtus secandi inest,
sed quod Deus liberè usurpet & evehat, pro *indolentia* ad divinum effectum
conversionis ac salutis hominum producendum: qui pro sua sapientia
noluit immediatè nobiscum agere & nos salvare, quod tamen facile
potuisset. Uti etiam aliàs effectus prædicatur de instrumento, non quo-
cunque modo se habente, sed quatenus id in usu consistit; ita quoque
conversio & salus hominum de verbo Dei prædicatur non ut est extra
suum proprium usum divinitus institutum, sed quatenus annunciat, præ-
dicatur, legitur, & meditatione expenditur; quod pulchrè declarat
Dn. D. Brentius p. m. in confels. Wittemberg. citante Clarissimo Dn. D.
Gerhardo, Præceptore nostro piè colendo LL. CC. de Evang. thes. 47.
Cum dicimus, Evangelium esse jucundam annunciationem de Filio Dei,
non loquimur de literis & syllabis, quibus verba Evangelii vel in papyro
continentur, vel voce recitantur extra proprium, legitimum & ordina-
rium suum usum. Et si enim Evangelium idcirco literis mandatum est, ut
ex iis tanquam ex penu suo tempore ad suum usum depromatur, tamen per
se extra suum officium nec est triste nec jucundum, nec occidit, nec vivifi-
cat, sed loquimur de annunciatione Evangelii, ut est in proprio, legitimo
& ordinario suo officio ac usu, in quem divinitus est instituta. In historia
Esther extat edictum, ut si quis vel vir vel mulier non vocatus intraverit
atrium Regis interius, statim interficiatur, nisi fortè Rex aureum sceptrum
pro signo clementiæ ei porrexerit: hoc sceptrum et si erat ex auro archite-
ctatum, tamen per se vel in abaco collocatum, vel in cista inclusum, nullam
cuiquam afferebat vitæ salutem, sed si Rex ipsum manu apprehenderet, &

intransi porrigeret, tum erat in legitimo suo usu & attactum servabat
intransi, ne à Satellitibus Regis interficeretur. Sic & de Evangelio sen-
tiendum est, quod cum literis tantum continetur, vel etiam voce pronun-
ciatur, vel annuntiatur, vel etiam cogitatur legitimâ suâ ordinatione,
tunc est verè cœleste organum, quo Spiritus Sanctus omnem salutem in-
electis suis operatur, adeoque verè est sceptrum illud, de quo Psalmus ca-
nit: Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, quo
domineris in medio inimicorum
tuorum.



C O R O N I S

I.

Libri Apocryphi Novi testamenti longè
majorem autoritatem habent, quàm Apo-
cryphi V. T. & autoritatem quidem etiam
in dijudicatione dogmatum Ecclesiastico-
rum valentē: ita ut *rectius authenticos quàm
Apocryphos nominare eos possimus, imò verò
debeamus.*

II.

Christum salvatorem ad Abgarum Edef-
fenorum Toparcham Epistolam manu suâ
scripsisse prorsus incertum est; imò vel ipsis
Pontificiis fabulosum.

III.

Symbolum Apostolicum vel ab ipsis Apo-
stolis compositum est, vel certè ab iis visum
& approbatum.

Non

I V.

Non derogat scripturæ perfectioni, quòd quibusdā libris extantibus alii deinde sunt additi.

V.

Publicus verbi Dei auditus privatis scripturæ meditationibus præferendus est.

V I.

Est species & contemptus & tentationis Dei, si quis sensu auditus valens, in congressibus solennibus in templo, cum è verbo Dei conciones orthodoxæ habentur, aut publicæ fiunt preces, libros, licet per se sacros & utiles, legat.

F I N I S.



Non derogat scriptura perfectioni quod
quibuslibet extantibus alijs deinde
addebat
Publicis vbi Dei auditis privatis kri-
pnae meditatione praetenduntur.

Est species & contentus & retentionis
Dei si quis tantum audire vult in congruo
suis solentibus in templo, cum e verbo
Dei orationes orthodoxas habent, aut
publica sunt praes, libris licet per se sa-
cios & miles, legat




Elencbús tractatiónu hoc volum: comprehensivum.


1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Eiusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Eiusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex h: verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FRORESENII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT ex h: verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Eiusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERII diabolus oraculi Iher: 1. 29.
16. Eiusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Eiusd: de Anti. Christo ex 2. thessal: 2.
18. BULAI ex h: verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliu, Genes: 3. 15.
21. Eiusd: Jesus typicus in sacrificiis veteru ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locu Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysteriu economie ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegria expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZBE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Eiusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARIi lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKENII Exercit: theolog: ad Rom: II. 31. 32.

ung VII 18

VD 17

Z





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ΕΓΧΕΙΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΕΥΑΝΓΕΛΙΟΥ

cap. 11. vers. 28.
οἰκονομίας τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν.

ut sermonem Dei, & custodiunt illum.

QUAM,
divini Numinis.

RESIDERE
SCHMIDT, S.S.
DOCTORE, EJUSDEM
co, & Ecclesiae ordinario,
miã & Ecclesia Ar-
gentinensi,

solenniter defendet.
AS Schön Augustanus.

Novo Idib. Mart. horis à
prima matutinis.

PROLOGO
PREFATIONE
PENTORATI
is Reppii, Anno 1626.

